



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXX. De Sanctissima Trinitate. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. Marc. 16. Arg. Tria rite numerata.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

fectius haberemus, expande sinum benignitatis tuæ, & ut in creatione insufflasti nobis vitam corporalem; ita jam in reparatione per Spiritum S. tuum, quem supra discipulos tuos mittere dignatus es, insuffla spiritualem; tibi deinceps abundantius, id est perfectius, ac ferventius deserviamus. Da imprimis ut tempus amissum in forensibus, & inutilibus occupationibus, operibus sanctis, & perfectis impendamus;

ut tantò ardentius ac cumulatius meritis augendis insistamus, quantò antehac remissiores nos præstitimus; ut flendo, & orando reparemus, quod in otio, & nequitia perdidimus. Ita redanimatos donis tuis comple, beneficiis cumula, fervore spiritus reple, ut deinceps in novitate vitæ ambulantes, immortalem consequi mereamur.
Amen.



CONCIO XXX.

DE SANCTISSIMA TRINITATE.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.

Marc. 16.

ARGUMENTUM.

TRIA RITE NUMERATA.

I. **H** Vulgatum apud plerasque nationes in idiotas adagium est: *Nescit tria numerare.* Aud. Quo sane illud unicum innuere intendunt, puerile esse tria numerare, & id ipsum eos comprehendere neutiquam posse. Pythagoras nihilominus arcanum in hoc latere mysterium statuit, Academiamque eo sine crexit, ut qui tria ad calculum rite revocare nosset, rude, ac epomide donaretur. Hic enim Augustino Præsule teste, Trinitatem rerum omnium men-

suram statuebat. Esse, posse, operari. Vel ut scribit Dionysius Arcopagita discipulos Deum per Trinitatem enumerare edocuit: *Deus est principium, quo emanamus; medium, quo ducimur; finis, in quem dirigimur.* Quibus verbis sublimissimam, & de Principio à quo conditi, & de mediis, quibus provehimur; & de fine, in quem nobis collimandum est, sapientiam complexus est. Subdit Plutarchus eundem Philosophum discipulos, (si quospiam incapaces hujus doctrinæ comperisset) limine suo exturbasse, dicendo; *μὴ γὰρ ὄνος* magnus asinus, seu *Apage ad asinos.*

Dion. Arcop. l. de Div. Nom.

Plus.

Aug. l. 8. de Trinit.

O o

Ego

Ego verò cum summo Ecclesiæ Af-
fricane Antistite sentio, non in schola
duntaxat Pythagoræ, sed in universa
Theologia Christiana non inveniri,
aut dari artem abstrusorem, quam sci-
re tria numerare. Dico in unitate es-
sentie tres Personas, ita ut nec Personæ
confundantur nec essentia dividatur,
& ut in Personis proprietates, in essentia
unitas, in maiestate adoretur æqualitas.
Verba illius sunt: *Vbi quaritur unitas*
Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus S.
nec periculosius alicubi erratur, nec labo-
riosius quaritur, nec fructuosius invenitur.
Non pigebit me, sicubi hæsto quarere, nec
pudebit, sicubi erro, discere. Verum tamen
cum ex meis *Aud.* neminem tam ru-
dem suspicer, quin hanc artem didi-
cent, aut in una Deitate tres Personas
numerare ignoret, ostendam qua ra-
tione Adversarii nostri, vel rudes alii
etiamnum hæc in arte hallucinantur.
Cedet id ad roborandam fidem no-
stram, & cultum unius in Trinitate
Maiestatis.

*Trinitatis
profundum
mysterium.
Aug. 1. b. 1.
de Trinitate 7.*

Partitio.

II. Tribus ut plurimum modis in
ternario numero calculando erratur.
Detractione nimirum, Confusione,
Additione. Detractione subtrahen-
do quidpiam ex numero, ut si quis in
tribus Personis divinis unam aut alteram
negaret, vel unam, alteramve tan-
tum numeraret. Additione, quæ quid-
piam adjicitur, ut si in divinis quispiam
plures numeraret naturas divinas.
Confusione, si numeros confunderet,
& v. g. unam personam pro alia, vel
pro duabus acciperet. Hæc tribus mo-
dis & olim, & etiamnum Adversarii

Ecclesiæ Orthodoxæ hallucinantur, in
adorando SS. Triados mysterio.

§. I.

Erratur in Trinitate Detractione.

III. P Rimitus detractione delirabant
Antiquitus Ariani, & subinde
Anabaptistæ, Samosatani, & alii; qui
aut distinctionem realem personarum
in divinis inficiabantur, aut Filio Dei,
& Spiritui S. divinitatem derogabant.
Item Macedoniani, qui spiritum S. ex
throno supremæ maiestatis deturbare
nitebantur, &c. Quid his faciendum?
Id nimirum quod Pythagoras cum
suis discipulis Bæotici ingenii fecitasse
perhibetur. Invenit is regulam Detri,
seu trium; quam in tantum deperibat,
ut si quispiam in numero exorbitaret,
demandata eidem digiti ad os apposi-
tione, ipsemet errorem proprio pollice
in illa regula corrigeret.

Regula Detri mihi est Codex sacer,
& digitus, quo omnis error manifesta-
tur, ipsemet spiritus S. de quo canit Ec-
clesia: *Dextra Dei tu Digitus*; quo re-
gula omnis veri ac recti nititur. Hic
Digitus non unam, aut duas, sed tres
omnino in Divinitate calculat Per-
sonas. Appone ori digitum Hæretice, &
ausculta.

IV. In capite S. pagine scribit de
hoc mysterio, in hæc verba: *In principio*
creavit Deus calum, & terram. Et spiri-
tus Domini ferebatur super aquas. In hoc
nomine DEVS liquidò designatur Pa-
ter; in verbo autem *principii* Filius in-
dicatur, per quem omnia condita; sic
enim ipse de se in Apocalypsi loqui-
tur: *Ego sum A, & O. principium, & finis.*
Et

*Regula
Detri.*

*S. Trinitati
mysterium
probat.
Gen. 1. 1.*

*Apoc. 1. &
ult.*

Et rursum apud eundem S. Joannem, *Principium, qui & loquor vobis.* Unde in *Ioan. 8. 25.* principio idem est, ac per principium, per Filium, & verbum fecit Deus cælum ac terram: *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hinc D. Hieronymus: *Christus tam in ipsa fronte Geneseos, quam etiam in principio Ioannis Evangelista cæli, & terra conditor comprobatur; quemadmodum de se ipso ait: In capite libri scriptum est de me; id est in principio Geneseos.* Atque ut omnis dubitatio auferretur, versio Chaldaica omnium antiquissima, & apud Hebræos irrefragabilis fidei, atque authoritatis pro principio posuit Filium dicens: *In Filio creavit Deus cælum, & terram.*

Chald.

Porro in verbo *spiritus*, clarè spiritus S. insinuatur, qui virtutem præstabat, vivificabat, sæcundabatque universa. Nam ubi nos legimus *ferbatur*, in Hebræo habetur *incubabat*, seu confovebat aquas, in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus neutiquam de spiritu hujus mundi dici (ut nonnulli perperam trahunt in suam partem) sed de spiritu S. qui Vivificator omnium à principio dicitur. Si autem Vivificator, consequenter & Conditor. Sic in ipsa fronte, etsi subobscurè, ipsa SS. Trinitas proffat exarata.

V. Quod si in sensu arcano, ac mystico, maximèq; tublimè hæc quispian accipienda propugnet, planissimè ex calce Evangelii veritatem accipiat: *Euntes docete omnes gentes: Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & spiritus S. In nomine Patris à nullo procedentis, & Filii procedentis à Patre, &*

spiritus sancti procedentis ab utroque. In ipso limine, ipsoque Ecclesiæ ostio hoc mysterium inscriptum voluit id est in Baptismate. In ipsa sanctificationis forma Unitatem impressit, quando in nomine uno nimirum insigniri renatos voluit, Trinitatem verò, quando adjecit: *& Patris & Filii & spiritus S.* Sicque unum esse Patrem, & Filium & spiritum S. personalque tres æquales demonstravit, cum eos primo hoc sanctificationis actu invocari præcepit, tanquam eos à quibus peccatorum remissio obtineretur, & omnis animarum nostrarum sanctitas promanaret.

At si Filius, & spiritus S. (quemadmodum deliri blasphemant) creaturæ forent, nunquid cum Deo in Baptismi forma conjungerentur? Numquid cum illo perinde, ac sanctificationis authores invocarentur? Numquid Deus ipsos in folio gloriæ collocaret? Numquid divinos concederet honores? Concedit autem, quum imperat, ut in nomine Patris, & Filii, & spiritus S. Baptismi lymphis tingamur, & expiemur. Deus itaque est Pater, Deus est Filius, Deus est spiritus S. vel ipsa Baptismi formâ, & effectu demonstratus. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Cum itaque in baptismo homines sanctificante, ac peccata remittente Filius, ac spiritus S. æque ac Pater æternus invocentur, & sacramentum hoc, tam in unius, quam alterius nomine conferatur, clarè innuitur eos potestatem remittendi peccata ac sanctificandi habere, atque a deo ejusdem Majestatis ac divinitatis cum Patre esse.

Quod verò primo loco Patrem, secundo

Marc. 16.
16.

Personarū
divinarum
profectio.

Symb.
Atha.

I. Ioan. 5.
7. a

eundo Filium, tertio Spiritum S. nominat, in hoc non personarum inæqualitas, sed originis ordo, cum summa personarum æqualitate indicatur. Prima enim persona Pater est, & fons divinitatis, à nulla alia procedens. Secunda Filius à Patre genitus; Tertia Spiritus S. à Patre, & Filio procedens, non tanquam à duobus principiis, aut inspirationibus, sed uno principio, ac spiratione. In hac enim Trinitate (loquor ex Athanasio) nihil prius, ac posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coeternæ sibi sunt, & coæquales. Hæc est fides Catholica, ut unum Deum in Trinitate, & unitatem in Trinitate veneremur. Hujus testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt. Quemadmodum tres personæ sunt in deitate; ita omnes tres testimonium in cælo, & de cælis perhibent Christi Divinitatis, ac hujus inconcussæ veritatis.

VI. Numquid autem intelligunt hoc Ariani, aut Samosateni, aut alii Hæretici? Neutiquam, cum tria numerare nesciant. Simplicissimus quisque nullo negotio percipit in ternario numero tres virgulas esse inter se æquales, & unius naturæ, quamvis illa sit prima, illa secunda, illa tertia; & hi concipere nolunt, & intellectum suum in obsequium fidei captivare, ut credant unum Deum in natura, & trinum in personis, Patrem & Filium, & Spiritum S. sibi consubstantiales esse.

Nec bene itidem numerant idiotæ nonnulli, qui non tam personas, quam divinitatem distinguunt dicentes: Aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. Non enim aliud, sed alius est

Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. Aliud enim supra naturam cadit, aliud in personam.

Alii verò in hoc numerandi genere tam rudes, ut totum subtrahant, nec unum numerare queant. Hi sunt qui vel exterius ipsa vivendi ratione profitentur; vel etiam malevolentia ac nequitia excæcati credunt omnino Deum non esse. Ipsa vivendi ratione contestantur Deum nullum esse, qui in tantum per omnia vitiorum genera feruntur, sic cupiditatibus suis fræna laxant, sic cælestium bonorum profus immemores in terra defixi jacent, sic omnia præcepta legis citra ullum doloris sensum violant, ac si in mundo non esset Deus, qui id videret, aut vindicare posset. Alii quod vivendi ratione profitentur, id ipsum corde impio sibi persuadere, aut ore blasphemio eloqui haud erubescunt. Non est Deus.

De his quid dicam? Non occurrit aliud, quam ut Tarentino cum Philosopho exclamem *μὲν τὰς ὀφθαλμοὺς* vel cum Psal-
te: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Si enim vel micam salis haberent in capite ex sola mundi constitutione, ac gubernatione eundem cognoscere possent. Quis enim tam vecors, qui cum suspexerit cælum, Deum esse non sentiat; & ea quæ tanta mente fiunt, ut nemo arte ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? Quis astrorum longè, latèque diffusa spatia, solis, ac lunæ, aliorumque siderum stupendas vicissitudines, ipsius cæli motus, ac conversiones admirabili inter se ratione concinentes, & omnium rerum cælorum complexu contentarum statum, atque naturam

Atheista
qui.

Psalm. 13. 2.

Ex creaturis
Creator
cognoscitur.

contempleretur, ac mente ad cognoscendum opificem non assurgat? Quis admirabilem sive in singulis rebus fabricam, & artificium, sive in universis ordinem, ac convenientiam omnibus naturæ partibus, uno consensionis vinculo dexterrimè confæderatis, & perinde, ac ex diversis sonorum intervallis, pro certa ratione, ad suavissimam harmoniam distinctis, expendat; non citius dubitet sese vivere, quam non esse Deum, per quem hæc omnia facta sunt? Quis revolvat, quod cum infinita prope sint in terra, in mari, in aëre, in ipso igne animantium genera, quæ non uno omnia, sed vario, ac multiplici alimento egeant, nulli quantumlibet exiguo animanti, non vermiculo, non araneæ, non formicæ, non muscæ, non culici suum pabulum deesse, neque varias artes, ac appositissima corporis membra, ac instrumenta, quibus illud sectari, ac sumere queant; & non inferat vim quandam mentis atque rationis imensam, sempiternamque esse, cujus Numine, ac sapientiâ, cuncta & à principio condita sunt, & deinceps reguntur, conservanturque, &c. Hoc rerum evidenti argumento numquid convincuntur, ut credant? Numquid invisibilia Dei, à creatura mundi, per ea, qua facta sunt intellecta conspiciunt? Nihil minus Dixit inspiens in corde suo, non est Deus. Negat primum principium.

Rom. 1. 20.
Psal. 13. 2.

Averroes
eliminat
negantem
prima prin-
cipia.

VII. Quid agam? Lego in vita Averrois habuisse illum discipulum alioqui obsequentissimum, sed cui ingenium extra cerebrum enavigaret. Hic cum in quadam lectione audisset Professore axioma illud infallibile, & ex ipsis principiis notum proferre:

Vnitas est principium numeri; ita vel præsumptione ductus, vel amentiâ lapsus est, ut id ipsum absolute inficiaretur. Nego, Nego. Averroes videns stupidum ingenium, ac factum, extemplo cum indignatione respondit: Si hæc non percipis, & ego teneo meum discipulum. Id ipsum ego his, qui nolunt agnoscere Deum esse principium rerum omnium, nomine ipsius tremendi Judicis denuntio. Nego vos discipulos ejus esse, & in novissimo districti judicii die, ad infimam inferni classem, summa vestra ignominia, rudentibus detrahendos, sempiternisq; suppliciis deputandos esse. Negantes enim prima principia non alio rude, quam rudentibus inferni digni.

§. II.

Erratur in Divinis additione.

VIII. **A**lter in numerando ternario esse potest error, Additio. Hunc in modum errat, qui unum accipit pro duobus tribusque, aut ternario numero quaternarium adjiceret. Sic hallucinati sunt in Ungaria, ac Polonia nostra Triteitæ, delirantes in Ss. Triade non tantum esse tres Personas divinas, sed insuper tres Deos, leu tres naturas divinas. Itè Duitæ, propugnantes duos esse Deos, Patrem, & Filium, Spiritum verò sanctum ejusdem cum illis naturæ.

Ponant & hi digitum supra os suum, & auscultent quid digitus Dei in regula Detri demonstrat. In lege Deuteronomii ait Moyses: Dominus ipse est Deus, & non est alius præter unum. Et paulo post: Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus est Deus sursum, & in terra deorsum, & non sit alius. Et rursum. Audi Israel. Dominus Deus noster,

Deus unus.

Deus. 4. 34.

Ibid.

Ibid. 6. 6.

Domi-

Dominus unus est. Idipsum multis aliis sacrae scripturae locis demonstratur, quod non sit alius praeter eum, nec similis illi in caelo desuper, neque in terra deorsum. Et ratio est, quoniam Deus est summum Ens, & omne bonum, summum bonum, & unum bonum. Haec enim intra se convertuntur, & quo aliquid magis ens, magis unum, summum ens, summum unum, non tantum specie, sed & numero omnino indivisibile, omnino incommunicabile.

*Deus finis
omnium
Prov. 16.*

Hic idem Deus est finis ultimus rerum omnium a se conditarum, ac possibilibus. *Univerſa enim propter ſemeipſum fecit Altiffimus.* Ad eum cuncta, tanquam ad finem ultimum referuntur, in quo quiescant, & a quo diriguntur. Constat enim mundum partim ex adversantibus elementis, partim ex dissimilibus rebus esse compositum. Quae autem diversa, ac contraria sunt, quid aliud, quam dissimilitudinem, ac pugnam cedere possunt? Quocirca quae ejusmodi sunt, nullo modo, ad unum ordinem, unumque finem, nisi ab uno aliquo dirigente revocari possunt. Necessarium igitur est, ut unum finem rerum omnium: ita non nisi unum Deum fateri, sin autem plures admittantur, vel hi omnes ad unum referendi forent, & tunc ille solus esset verus Deus. Vel non? Et tunc nullus ordo, nullus finis daretur omnium, nulla harmonia, aut concordia creaturarum.

*Deorum
multorum
absurditas.
Lucianus,
in dial.*

IX. Cognovit idipsum vel solo lumine naturae illustratus Lucianus Ethnicus, & ad vanitatem Numinum displodendam comminiscitur ipsos Deos coegisse comitia, publico bono

consulturos. In quibus unus eorum exorsus ait: Nimis multi nostrum sunt o Summates, ea propter & aestimationi, & majestati nostrae plurimum derogatur. Jam haustus ambrosius in caelo crevit pretio, & vix potest haberi. Multi nostrum fame tabescunt nec Jovi ipso pro dignitate sufficitur. Peregrini non pauci, imo & barbari adscriptitii, & putatii dii nescio, quo pacto caelum impleverunt. Ita ut plenum sit symposium, tumultuosa turba quorundam garrulorum, & convivarum, cumque recentes assumuntur, veteres exploduntur. Illi enim primo accubitu sese dignandos arbitrantur, & priores sibi in terris arrogat honores. Adde quod unus alteri contraveniat, & in alterius sese ingerat officium. Mercurius se medicum fingit, quasi ille sanitati redonet. Esculapius pro Apolline se venditat, quasi ipse oracula fundat. Mars sibi omnes militare cogit. Quid ultra? Quaevis Dea rerum suarum satagit, nec pensi habet si vel firmamentum illabatur orbi, vel dii mediastinos agant. Quivis in apotheosim relatus suos Satyros magnificat, nec sufficit si ex hominibus dii facti sunt, nisi suos pedissequas, & vernas honore nobis adaequent, &c. Ita Ethnicus indignitatem plurium Deorum exhibilat, & Christianus dualitatem, aut pluralitatem admittet? eadem absurda non assequitur? eundem sibi cum vero Deo jocum faciet?

Facit sane, nec argumenta vel Ethnica percipit, nec ternarium numerum capit. Aristotelis acroama est: *Essentia sunt sicut numeri.* Numerus autem ternarius, v. g. hujus conditionis est, ut
licet

licet tribus virgulis gaudeat, tamen unius naturæ sit, distinctæ à quaternario, quinario, & aliis; ita ut tres virgulæ conflent unum numerum ternarium. Pari ratione (quamvis non omnino suppari) etiam in SS. Trinitate sint tres Personæ, tamen consubstantialiter unius naturæ sunt in deitate; ac proinde quemadmodum ex tribus sibi similibus unitatibus componitur ternarius; ita tres personas, una in Trinitate divinitas. Numerent igitur & dicant: *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus S. & tamen non tres dii, sed unus est Deus.* Non numerabunt; eò quod unam naturam in tribus personis subsistere non capiunt.

X. Errant hoc in genere alii scelerati, dum plures sibi fines ultimos, hoc sequestrato, constituunt. Hi enim eo ipso, quod in re caduca animum, mentemque defigant, illam pro Deo, & ultimo fine suo, seu summo bono reputant. Hinc tot recentes calculant deos, quot vitiis mancipantur. Nam ut loquitur D. Hieronymus: *Vnusquisque quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* Avarus aurum Deum habet, voluptuosus carnem, ambitiosus mundi pompam. Dum enim istas vanitates Deo anteponunt, & ob amorem creaturæ, amorem Creatoris extinctum eunt; an non liquido illam, semoto Deo, throno majestatis supremæ instipant? Hinc Poëta rite modulatus est:

Ambitiosus honos, & opes, & sæda voluptas,

Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

Cum uni genu incurvandum esset, ipsi triplici idolo advolvuntur; & licet

in baptisate abrenuntiârint diabolo, mundo, & pompis ejus, eadem, victi inordinatis affectibus, iteratò adorent.

In hos meritò exandescens D. Augustinus eructat; *O impie quid tibi cum pompis mundi, & operibus diaboli, quibus renuntiasti? Quid toto corde sequeris Absolonem, relicto vero Domino tuo Davide? Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Memento te non homini, sed Domino terribili, & ei, qui aufert spiritum principum, sacramentum dixisse. Abrenuntio; & conare non solum vobis, sed & moribus, non tantum sono linguæ, sed & actu vitæ contestari.*

Numquid intelligunt ista? Perinde ac Blictri, Excludentur itaque & hi, ex Athenæo cœlesti, haud secus, ac illæ Virgines quibus dictum est: *Nescio vos. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Hunc magistrû audivistis, & habuistis in vita, eundem retinete in omnem æternitatem.

§. III.

Erratur in Ternario Confusione.

XI. Tertius error esse potest in numerando ternario per Confusionem. E. g. si quispiam intenderet tria numerare, & unam virgulam numeri acciperet, jam pro uno, jam pro duobus, is certè plurimum hallucinaretur. Hac ratione sophista ille incoram parente suo nugatus est, quando appositis tribus ovibus, inferre fallacis suis nitebatur esse quinque. Sic enim

ægu;

Symb.
diba.

Idolatria
imporum
Hier.

Aug. in
soli.

Jer. 2. 18.

Matth. 25.

argumentabatur: Pater, ubi sunt tria, ibi sunt & duo; ubi autem sunt duo & tria, ibi sunt quinque. Ergo hic sunt ova quinque. Cui dextrè parens, & verbo, & re ipsa respondit. Si ita est mi fili, ego accipio duo pro me, matri do unum, tu accipe alia duo residua. Sic dum jure nugatur paterno, ruborem non nisi pro laurea reportat.

Huic eidem errori obnoxii nostrates schismatici, confundentes quadantenus Filium, cum Spiritu S. quando eundem à solo Patre, & non à Filio procedere sibi imaginantur. Hæc enim receptissima SS. Patrum Maxima est: *Vbi non est oppositio processionis, ibi non est distinctio personarum.* Si enim v.g. mea eadem natura poneretur in alio, nec is procederet à me, nec ego ab illo, is non esset diversa persona à me, sed eadem omnino. Ita eo ipso, quod juxta illos Spiritus S. habeat eandem naturam cum Filio, nec is procedat ab illo, nec Spiritus S. ab ipso, non potest esse diversa persona, eò quod deficiat, quo distinguatur ab ipso, &c.

Schismaticorum error refutatur.

Ioan. 16. 15.

Quid quæro cum his agendum? Id profectò, quod cum aliis. Apponant ori digitum, observaturi, quid Regula Detri in sacris paginis illis demonstret: *Omnia (ait verbum æternum) quæcunque habet Pater mea sunt.* Sed Pater habet hoc, quod spiret Spiritum S. Ergo idem obtinet & Filius. Et eam ob rem dicit: *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis.* Et rursus: *Paracletus de meo accipiet.* Quod est hoc meum, nisi Divinitas Filii? Et quid est aliud accipere Divinitatem à Filio, quam procedere ab eodem?

Id ut capias audi quæso vel unum à

me obvium argumentum. Scitor ex te, *Processio Spiritus S. à Filio probatur.* quid sit Spiritus S. in divinis? Responderere debes, quod sit mutuus amor inter Patrem, & Filium. Pater enim gignens Filium, videt sibi ab integro similem, infinite sapientem, infinite bonum, infinite omnipotentem, &c. & eapropter infinite eum diligit. Filius item videns se (ut ita dicam) infinitum à Deo Patre beneficium, id est Divinitatem, & omnia, quæcunque erant Patris indeptum, & item quod Pater sit in infinitum sapiens, potens, bonus, &c. reciprocè eundem amore immenso complectitur. Hic infinitus amor mutuus non est aliud, quam Spiritus S. tertia in divinitate Persona. Quomodo itaque si est mutuus amor ab utroque non procedit? Amor enim est amantis; cum ergo Pater & Filius amet, non tantum à Patre, sed & Filio procedere necesse est.

Insto ultra. Amor hominis sanus, & rectus num procedat ab intellectu? *Spiritus S. procedit à Patre & Filio.* Negate quantumvis velis, haud poteris, nisi absurdum, ac bestialem finxeris. Ecce in homine ejusmodi amorem degenerem judicas, & in Deo statuere talem non erubescas? Nonne homo imago, seu umbra Divinitatis est? *Faciamus, inquit Numen æternum, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ut itaque homo per intellectum producit conceptum; suppari ratione (quantumvis alio respectu infinite eminentiote) Deus per intellectum Filium, & verbum suum in similitudinem naturæ producit. Ut item homo per voluntatem illuminatam amando producit amorem: sic Deus amando per voluntatem producit Spiritum S.

Si ergo

Si ergo non bene sanus amor in homine esset, nisi ab intellectu procederet, nec in Deo, nisi à sapientia æterna, id est Filio, spiraretur.

XII. Jamne intelligis schismaticæ? Dubito. Ignorantia Trium te laborare video. Pone ergo huc mihi tres virgulas, primam, secundam, tertiam, & edic, tertia virgula unde id obtinet quod sit tertia? An solum ex prima virgula? Certe non, sed & ex secunda. Quoniam si ex prima id solum haberet, posset esse tertia sine secunda. Ergo quod sit tertia nascitur non tantum ex prima, sed & secunda. Ita & Spiritus S. quod sit tertia in sacra Triade persona, non tantum id sortitur à prima, sed & altera: Quippe si à prima duntaxat procederet, sicut & secunda persona, tunc etiam tertia persona foret secunda. Si itaq; est tertia, debet id obtinere & à prima, & à secunda.

XIII. Jamne tandem perceperunt? Etiamnum hæreo, cum multò deterius obcæcatos video illos, qui se indignant reformatos, ac illuminatos. Hi unum numerum cum alio, imo unum cum nullo confundunt, Deum cum Diabolo pari subsellio locant. Cum ille sit author, & origo omnis mali, (*invidia enim diaboli intravit mors seu peccatum, in mundum*) Deo ipsum imputant, & eundem authorem scelerum statuunt. Quod ergo discrimen unius ab alio? Quomodo non unum pro alio calculant? Quomodo non unum pro alio invocant, & adorant? O blasphemii, ô fulminati! obturate fauces ambabus manibus, priusquam eas obturet iniquitas. Attendite ad Regulam Detri: *Quoniam non Deus volens*

iniquitatem, ipse est. Quoniam mundi sunt oculi ejus, nec respicere ad iniquitatem possunt. Quoniam *Odio est Deo impius, & impietas ejus.* &c. Hæc si non prospicitis, profectò ex patre mendacii, diabolo estis, & desideria ejus perficitis.

XIV. Quin & nostri seducti Fratres hac in parte hallucinari videntur, quando Humanitati Christi realem communicationem attributorum divinorum decernunt, eamque immensam, interminam, omnipotentem statuunt. Quid enim hoc aliud est, quam confundere humanam naturam cum divina; vel duo omnipotentia, duo immensa, duo infinita, Deitatem & humanitatem Christi inducere? Quod sanè & rationi, & symbolo, & scripturis evidentissimè repugnat. Esset enim humanitas Christi finitæ potentia, & non esset; cumque idem sit omnipotentia Dei, quod essentia, natura humana in Christo simul esset divina. Quantum Chaos! Quanta confusio! Unde hoc? ignorant tria numerare, miscent unum cum alio.

XV. Tradit Fulgosus de quodam Clerico sub tempus Friderici Cæsaris, circa annum Domini millesimum ducentessimum, trigessimum, quod epoto sanguine, quem ex mediana miserat, omnium artium, ac studiorum, quorum perillissimus fuerat, in tantum oblitum esse, ut nec scribere, nec legere, nec tria numerare posset. Ita enim duntaxat calculabat: Unum duo; unum duo, duo unum. Vereor ne eadem mania ex eodem capite in nostros A catholicos derivata sit. Cum enim sciant se non habere verum sacrificium, nec sacer-

Lutherani
Duits.

Clericis cu-
jusdam
memoria
defectus.
Fulgos. an.
1230. l. I.
c. 6.

Calvini-
starum
Deus dia-
bolus.

Psal. 5. 5.

sacerdotium ; ut se minimum modo imaginario participes redderent corporis, & sanguinis dominici, commenti sunt illud ubi vis esse ; atque ita in quovis pane edi corpus, in quovis potu bibi sanguinem. Quid hic statuendum de iis ? De prefato Clerico subdit Fulgotus, quod cum postliminio sanguinem ex linguae artena haustum misisset recuperasse ingenium, ac scientiam. Si nostri Adversarii congrua ratione alium sanguinem, eumque verum, & non fictitium libare vellent, linguam nimirum sacerdotis Catholici, ac verbo divino profusum spondere iis pristinam possem sanitatem. Verum cum id recusent, nihil restat, quam ut eos ex Theologia Christiana eliminem, & anathematizem.

Superfedebo tamen tantisper in eorum gratiam, quorum salus necdum omnino naufraga, si forte à nobis precedentibus addiscant numerare tria, nimirum credere, & adorare unum Deum in essentia & trinum in personis; Patrem ingenitum, Filium unigenitum, & spiritum S. Paracletum; Pa-

trem auctorem omnium citra peccatum; Filium assertorem, & vindicem humani generis; spiritum S. largitorem bonorum omnium; superfedebo si forte ea sacrosanctè receperint, quæ credit & confitetur S. Romana Ecclesia. Id si fecerint in illa distinctionis die cum Richardo à S. Victore secure dicere, ac protestari poterunt: *Domine si est error quod credimus, à te decepti sumus. Nam ista tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* Et certè à summæ sanctitatis viris nobis sunt tradita, summâ, & authenticâ attestazione probata, te ipso cooperante, & sermonem confirmante multiplicibus signis, ac prodigiis. Id si fecerint non vano nixi Apolline confidere possunt, se unum cum supernis spiritibus illud Trisagion decantaturos. *Sanctus, sanctus sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus.* Quod omnibus nobis largiatur unus in Trinitate Deus Pater, Filius, & spiritus S. Amen.

Richardus
S. Trinitatis.

Isa. 63.



CON-